

5 Patientia est fortitudo, quâ homo molesta & adversa quæq; equo & infracto animo sustinet.

S C H O L. Græcè *ὑπομονή*, q. d. submansio, quia per hanc virtutem fortiter perseveramus sub cruce & afflictione, item *καρπεία*, tolerantia, quamvis in his discrimen sit in gradibus. Huc pertinet illud: *Rebus in adversis animalium submittere noli*. Et bene Horatius: *Rebus angustis animosus atq; fortis appare*. Exempla quamplurima habemus in sanctis, ut Abrahamo, Davide & Apostolis, qui quasvis calamitates patientiâ vicerunt. Ad hanc classem pertinent S. Martyres, & omnes ii qui propter nomen Christi persecutionem constanter passi sunt & patiuntur. Nota est patientia Jobi in rebus adversis. Christus vitæ & fidei exemplum ob oculos ponatur, ejusque patientia ex historia passionis cognoscatur; *convictus affectus non vicissim conviciabatur, & tanquam ovis ductus est ad occisionem*. Rectè igitur Poëta Christianus:

*Nobile vincendi genus est patientia, vincit,
Qui patitur; si vis vincere, disce pati.*

Et probè dixit Ovidius: *Leve fit quod bene fortur onus*. Quò pertinet illustris sententia: *ἀνέχεις οὐδὲ ἀπέχεις*, i.e. sustine & abstine. Leid vñd meid. Nam *patientia est remedium malorum*, ut habet symbolum Theodosii Imp. Philippus rex Macedonum omnes ferè conviciatores suos vicit patientiâ, eosq; amicos sibi fecit, & dicere solitus est, *Regiū esse male audire, & bene facere*. Notum est illud Senecæ: *Feras, non culpes, quod mutari non potest*. Et alias:

*Ferre decet patienter onus, quod ferre necesse est:
Qui jacet invitus, durius ille jacet.*

6 Fortitudini opponitur in excessu Audacia, quæ est vitium morale, quo homo in confidendo modum excedit.

S C H O L. Græcè dicitur *ὕπαρχη*. Vulgus imperitum audaciam inter virtutes numerat, sed sentit ut vulgus, *Ubi enim deest prudentia, ibi nulli virtus locum habere potest*. Audax vero & insipiens & imprudens est, dum